

inquilinus, servus retinebat pro eo possessionem: nam si talis detentator sit expulsus, & possessio fuerit domino ablata, poterit ille detentator qui fuit expulsus, etiam sine mandato, imò licet non sit legitima persona standi in iudicio, quia servus, agere hoc interdicto unde vi nomine absentis, ut restituatur possessio domino absentis: & non solum hoc potest petere ipse detentator, imò quilibet alius tertius, etiam servus, qui non detentabat: textus est notabilis in leg. 1. Cod. Si per vim vel alio modo, & ibi notant & commendant Bartol. Cin. Bald. Salycet. & communiter DD. nec distinguitur an talis possessor sit absens ex causa necessaria probabili, vel voluntaria, secundum Glossa ibi, in verb. Quolibet modo, & communiter DD. Imò talis amicus vel servus poterit agere nomine absentis sine aliqua cautione de rato: ita ibi notabiliter Salyc. 1. column. num. 4. quod videtur probari ex illa leg. cum de facili servus qui nihil habet in bonis non posset reperire fidejussores: unde videtur quod illa lex hoc novum inducat in casu spoliationis, ut illa personae possint agere sine cautione: & ista opinio mihi videtur verior, licet Glossa ibi in verb. Servi, in fin. & ibi Bartol. Cin. & magis communiter DD. teneant contrarium.

185. Item adde, quod istud interdictum datur & competit haeredibus active; unde mortuo possessore, vi dejecto & expulso, haeredes & successores ejus possunt agere hoc interdicto pro recuperanda possessione, quae defuncto fuit ablata, & pro totali interesse, pro quo ipse defunctus potuit agere: text. est in leg. 1. §. Interdictum hoc. ff. de Vi, & vi armat. facit textus in lege 1. §. Haeredem. ff. de Privatis delictis, textus in leg. Quod diximus. §. 1. versic. Haec actio. ff. Quod metus causa, text. in §. Non autem, versic. Sed haeredibus, Instit. de Perpet. & tempor. action. Similiter etiam transit contra haeredem ejus qui commisit violentiam, non tamen ut intenteretur hoc interdictum unde vi, sed actio in factum, si aliquid ad eos pervenit, non alias; unde agitur contra eos pro recuperanda ipsa re, si ad eos pervenit, & pro recuperando eo quod ex bonis possessoris expulsi ad eos pervenit; non vero agitur contra eos pro aliquo interesse vel damno, quod possessor expulsus passus fuit, cum hoc non pervenerit ad praedictos haeredes expulsi: text. est in leg. 1. §. final. ff. de Vi, & vi armat. cujus verba sunt, ex causa hujus interdicti in haeredem & bonorum possessorem ceterosque successores in factum, actio competit in id quod ad eos pervenit, textus in leg. Si plures, eodem titul. text. in leg. 3. §. Haec actio, eod. titul. facit text. in dict. leg. Quod diximus. §. fin. ff. Quod met. caus. text. in leg. In haeredem. ff. de Calum-

nia, text. in leg. 1. §. fin. ff. Ne vis fiat ei, text. in leg. Sicuti poena. ff. de Reg. jur. text. in leg. unic. in fin. Cod. de Delict. defuncti. text. in leg. Haeredem. ff. de Dolo, & tali casu competit perpetuo, cum detur pro eo quod ad eos pervenit, ut in dictis juribus.

186. Item adde, quod istud interdictum unde vi non datur contra particularem successorem: unde si ille qui commisit violentiam, vendidit, vel donavit alteri illam rem, vel quovis alio titulo oneroso vel lucrativo per contractum inter vivos vel per ultimam voluntatem alienavit, non poterit primus possessor expulsus agere hoc interdicto contra illum tertium particularem successorem, sed tantum contra expulsorem qui violentiam commisit, licet rem ipsam non possideat: textus est notabilis in leg. Cum a te. ff. de Vi, & vi armat. cujus verba sunt, cum a te vi dejectus fuerit, si quis vi eandem possessionem possidere coeperit, non possum cum alio quam tecum interdicto experiri: quem text. ad hoc notat ibi Glossa ordinaria Bart. & communiter DD. Angel. in leg. Si vi met. la. 1. ubi dicit illam legem eodem titul. Cujus ratio est: quia regulariter interdicta sunt remedia personalia: textus est in leg. 1. versic. penultim. ff. de Interdict. cujus verba sunt, interdicta omnia licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt, & ad hoc notant ibi Bartol. Albert. Ang. & communiter DD. & licet alia interdicta sint in rem scripta, istud tamen est mere personale, ut aperte probat textus in dict. l. Cum a te. ff. de Vi, & vi armat. & ibi communiter DD. unde cum sit remedium mere personale, merito non transit contra particularem successorem, ut in leg. final. §. final. ff. de Contrahend. empt. cum similib. Quod intellige quando primus violentus possessor & dejiciens est solvendo; alias secus: argumento textus in leg. Itaque furto in princip. ff. de Furtis ita Glossa ordinaria in dict. leg. Cum a te, & ibi Bartol. & DD. Angel. in dict. leg. Si vi me. 2. column. eodem titul. idem Angel. in leg. Si de fundo, eodem titul. in fin. Quod tamen subintelligo pro re, non vero pro interesse: contra expulsorem autem indistincte potest agere pro re, & similiter pro interesse, modo possideat rem ablatam, modo non, etiamsi sine dolo vel culpa amiserit possessionem: text. est in leg. Si vi me, la. 2. ff. de Vi & vi armat. & ibi Bartol. Angel. & communiter DD. vel poterit agere contra tertium rei vindicatione, vel alio remedio reali competenti, cujus probatio est difficilis. Sed hodie de jure Canonico & ejus aequitate inductum est, quod possit violenter expulsus agere contra quemlibet tertium possessorem, eo casu quo scienter habuit rem a praedicto violento

pos-

possessore; unde secus est si ignoranter ab eo habuisset rem: text. est notabilis in cap. Sape de Restit. spol. & ibi Glos. ordinaria Innocent. Hostiens. Abb. Anton. Cardin. Anchar. & communiter DD. Gloss. in cap. Cum ad sedem, & ibi communiter Scribentes, eod. tit. Nec obstat si dicatur, quod violentia ita afficit rem, quod non potest usucapi vel praescribi, nisi redeat in potestatem primi possessoris a quo fuit ablata, ut in leg. Certè. §. Julia. ff. de Praear. unde non videtur esse vitium mere personale, & per consequens remedium non deberet esse personale: Quia respondeo, quod illud est verum quoad effectum usucapionis, & prescriptionis, quia illud vitium afficit rem adeo, quod non potest usucapi nec praescribi, nisi purgetur vitium violentiae redeundo in potestatem possessoris expulsi; & licet res furtiva debet reverti in potestatem domini, ut in leg. Sequitur. §. Quod autem. ff. de Usucap. cum similib. tamen res vi ablata debet necessario reverti in potestatem possessoris expulsi: text. est singularis & unicus in iure in dict. leg. Certè. §. Julianus. ff. de Praeario, secundum Bart. Ang. & DD. ibi. Ita tenet Bart. & communiter DD. in leg. Sequitur. §. Si dominus. ff. de Usucap. Paul. de Castr. & Doctor. in §. Quod autem ejusdem leg. Bart. & DD. in leg. Si partem, Cod. de Usucap. pro empt.

187. Item adde, quod licet de jure antiquo per vim dejectus atque spoliatus tantum possit agere contra violentum possessorem interdicto unde vi, ut supra dictum est; tamen hodie de jure novo Codicis poterit agere remedium leg. Si quis in tantam, Cod. Unde vi, quae cavetur, quod si invasor sit dominus, amittat dominium illius rei, & applicetur expulso; si vero non sit dominus, tenetur ei reddere possessionem ablatam, & insuper aestinationem ejusdem rei: & ad hoc notat ibi Glos. ordinaria & communiter DD. text. in §. Sed ex constitutionibus, Instit. de Interdict. text. melior & clarior caeteris in §. Quia tamen Instit. bonorum raptorum, & idem disponitur in leg. 10. titul. 20. 7. part. & in leg. 2. titul. 14. lib. 3. Ordinam. Et si quaras, in quo exit hodie utile interdictum unde vi, cum materia sua; cum plenius sit spoliato consultum per text. in dict. leg. Si quis in tantam, & per jura similia? maxime quod interdictum unde vi requirit dolum in committente violentiam, scilicet, quod sciat rem, nec possessionem sibi non pertinere; remedium vero text. in leg. Si quis in tantam cum similib. procedit & competit sine dolo; hoc est, licet reddat rem vel possessionem ejus ad se pertinere; & sibi licere de jure rem propria auctoritate auferre, vel alio errore ductus fecerit: ita text. expressè in dict. §. Quia tamen, Instit. vi

bonorum rapt. & tenet Gloss. ordinaria in dict. leg. Si quis in tantam in glos. magn. in finalib. verb. & ibi communiter DD. Rursus etiam interdictum unde vi est annale, ut supra dictum est: remedium vero text. in dict. leg. Si quis in tantam cum similib. & est perpetuum, & durat per 30. annos, cum sit civile, ut tenet etiam Gloss. in dict. leg. Si quis in tantam in glos. magn. in fin. & ibi communiter DD. Respondeo, quod in electione possessoris expulsi erit unum vel alterum remedium eligere, & quodlibet eorum potest esse suo casu utile: nam interdictum unde vi competit ad restitutionem rei ablatae, & insuper ad totale interesse, quod potest esse longè majus quam vera aestimatio, & valor rei, ut supra dixi & probavi: remedium vero text. in dict. leg. Si quis in tantam cum similib. competit contra spoliatores, ut amittat ipsam rem, si fuerit dominus ejus, vel condemnatur in valorem & aestimationem ejus, si non fuerit dominus, etiam nullo probato interesse per actorem expulsam: & sic valde utile erit sibi eligere inter ista remedia.

188. Item adde, quod si quis relinquat rem quam possidebat vacantem, taliter quod per absentiam ejus omnem possessionem amittit, tam civilem quam naturalem, his modis quibus de jure perdi potest, & alter eam ingressus est, sciens rem esse alienam, & ad eum non pertinere, licet ignorat cujus sit; tunc, licet de jure antiquo nullum competeret remedium vel interdictum primo possessori, qui vacantem rem reliquit: quia non Unde vi, cum illud requirit violentiam commissam in personam; non Ut possidetis, cum ipse nullam possessionem habeat, cum utraque vacat; non adipiscenda cum semel jam habuit possessionem, & forte non habuit rem ex titulo universali ultimae voluntatis, a quo causatur illud interdictum adipiscenda, ut dixi suo proprio loco; & sic de jure antiquo nullum in hoc casu erat in jure proditum remedium; hodie tamen per Justinianum est novum introductum remedium, scilicet, quod detur & competat primo possessori, qui rem vacantem reliquit, remedium text. in leg. fin. Cod. Unde vi: quo teneatur ingressus eam restituere primo possessori cum totali interesse, tanquam si violenter a possessore rem auferret, & denique tenetur ad omnia quae veniunt in interdicto unde vi: & ille text. in sua decisione non est alibi, cum sit una de decisionibus Justiniani, quam ibi ad hoc notat & sic intelligit Gloss. ordinaria in verb. Vacuam, versic. Tu dic. & ibi Bart. Petr. Cin. Alber. Bald. Salyc. & communiter DD. Azor. in Summ. illius titul. penult. column. num. 31. Rofred. in Rubr. de Constit. cum querebatur quae est ultima

ma rubrica sui operis, 3. column. in princip.

Ex quo inferitur, quod illa lex non haberet locum quando sola possessio naturalis vacaret, quia dominus vel possessor primus retineret possessionem civilem in absentia: quia hoc casu competeret domino vel possessori interdictum *uti possidetis* pro tuenda sua civili possessione, in cuius consequentiam fieret sibi restitutio naturalis, ut late conclusum est in interdicto *uti possidetis*. Unde non competeret ei remedium *dict. leg. fin.* & hoc est de mente Glos. *ibi in verb. Vacuam*, versic. *Tu dic.* Pro qua doctrina & declaratione facit Gloss. singularis & unica in §. *Quod autem, Instit. de Usucap. in gloss. 2.* quæ dicit, quod possessio interdum dicitur plena, ut est illa, quæ plenè possidetur; interdum semiplena, ut est illa, in qua aliàs ex causa legatorum, vel rei servandæ; interdum vacua, & hoc contingit tribus modis, propter absentiam, vel propter negligentiam, vel quia sine successore quis decedat: quam ibi sequuntur DD. & illam Gloss. dicit unicam Ang. in *leg. Si me in vacuam de Acquirend. posses.* & Alex. & Jas. in *leg. In conventionalibus*, §. 1. *de Verbor. obligation.*

Secundò inferitur, quod non haberet locum quando quis in absentia retinet utramque possessionem, mediante servo, filio, colono, vel inquilino; quia tali casu daretur interdictum *unde vi* ipsi absenti, vel ipsi expulso competeret interdictum *unde vi*, nomine possessionis absentis, ut supra dictum est, per text. in *lege 1. cum materia, Cod. Si per vim vel alio modo*. In quo unum notandum est, quod hoc casu, quando absens relinquit domum, fundum, vel rem vacantem, & alius ingressus est & possessionem; occupavit quod non poterit aliquis pro absente agere interdicto *unde vi*, vel conditione *leg. fin. Cod. Unde vi*, nec alio quovis remedio possessório; sed oportet quod ipse absens reversus, vel ejus procurator agat competenti remedio, scilicet remedio *leg. fin. Cod. Unde vi*, quia imputandum est ei, qui vacantem rem reliquit: licet eo casu quo absens consideret per colonum, inquilinum, servum, vel amicum, quem ibi dimiserit, si quis ingressus sit, postea agi contra eum per eos quos ibi dimittit, imò per quemlibet extraneum sine mandato, ut in *dict. leg. 1. Si per vim vel alio modo*, quia magis favendum est ei qui possessionem suam per alium voluit conservare.

189 Item adde, quod prædicta lex *fin. Cod. Unde vi*, habet locum & procedit tam in re mobili, quam immobili: ita Jacob. Butr. in *dict. leg. fin. 1. column. in fin. Butr. 2. column. num. 7.* Salyc. 2. col. num. 10. Rofred. in *Rubr. de Constit. cum querebatur*, 6. column. num. 5.

Alexand. ubi dicit hanc esse communem opinionem, in *leg. Rem quæ nobis. ff. de Acquir. posses. 2. column. numer. 5.* Jas. *ibi*, 2. column. in *fin. numer. 4.* licet Gloss. in *dict. leg. fin. Cod. Unde vi*, in verb. *Quod vi aut clam*, velit contrarium. Unum tamen est, quod licet agenti remedio possessório recuperandæ non obstat exceptio domini, licet veniat in continenti probanda; tamen secus est in agente remedio & conditione prædictæ legis *fin. Cod. Unde vi*, pro possessione clandestina; quia ei bene obstat exceptio domini: ita probat text. unicus in *jure in leg. Si de eo*, §. *fin. ff. de Acquir. posses.* & illum text. ad hoc dicit unicum Bald. in *leg. Vitiis, Cod. de Acquir. posses. 1. col. num. 6.* idem Bald. in *leg. Si quis emptiois. §. Sed hæc contra super illis, Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor.* & ibi Ang. in princip. *leg. 2. column. num. 4.* istam conclus. tenet Bart. licet non allegat illum text. in *leg. Si de vi. ff. de Judic. in fin. num. 3.* & ibi Paul. 5. column. in princip. vers. *Primus*, Gloss. ordinaria in *dict. leg. fin. in verb. Per ignorantiam, in fin. Cod. Unde vi*; & ibi Bart. penult. column. num. 11. ubi adducit notabilem rationem: quia cum possessio vacabat, non reputatur tam grave delictum. Item etiam, quia remedium illius legis habetur instar adipiscendæ possessionis, cum omnino vacabat, & sua culpa possessionem amiserat: idem etiam tenet ibi Ang. 2. col. in *fin. Salyc. 3. col. num. 15.* & ista est communis opinio DD. licet inadvertenter contrarium tenet Jason. in *leg. Clam possidere supra, isto titul. 2. column. num. 5.* allegando Anton. de Butr. in *cap. Item cum quis de Restit. spol.*

Item adde, quod licet ille, qui occupavit rem vacantem, teneatur eam restituere tanquam predo ad instar interdicti *unde vi*, conditione prædictæ legis *fin. Cod. Unde vi*, tamen res illa non afficitur vitio reali: unde licet eo casu quo intervenisset vera & realis violentia, talis res violenter possessa non posset præscribi, ut in *leg. Certè. §. Julianus. ff. de Præcario*, & supra dictum est; tamen secus est in hac possessione clandestina in re vacante acquisita; quia bene potest præscribi per quemlibet bonæ fidei possessorem: ita notabiliter probat text. in *l. Furtum. §. Fundi. ff. de Usucap.* & ibi Bart. & communiter DD. in *leg. Sequitur. §. Item si occupaveris, eod. tit.* Glossa ordinaria in *leg. Pomponius. §. Cum quis, in verb. Vitiis. ff. de Acquir. posses.* & ibi Bart. & communis opinio Gloss. in *leg. Vitiis, Cod. de Acquir. possession.* & ibi Bald. Ang. Salyc. & communiter DD. Gloss. in *dict. leg. fin. Cod. Unde vi*, in verb. *Ut prædonem*, & ibi communis opinio: probat etiam text. in §. *Quod*

au-

autem, Institut. de Usucap. & ibi Faber. in *fin.* & communis opinio, licet ibi Glossa velit contrarium: istam etiam opinionem tenet Jas. ubi dicit hanc esse communem opinionem, in *leg. Clam possidere. 2. column. num. 3. ff. de Acquirend. posses.*

190 Item adde, quod quando quis vult possessorem à sua possessione expellere, potest talis possessor ei de facto resistere, quia licet videtur facere pro defensione suæ possessionis: Imò, si jam dejectus, & expulsus sit, potest propria autoritate recuperare, dummodo faciat in continenti, non ex intervallo; text. est in *leg. 3. §. Eum igitur. ff. de Vi & vi armat.* cujus verba sunt: *Eum igitur qui cum armis venit possumus armis repellere, sed hoc confestim, non ex intervallo, dummodo sciamus non solum resistere permissum, ne dejiciatur, sed & si dejectus quis fuerit eundem dejicere non ex intervallo, sed in continenti*; & ad hoc eum notat ibi Glossa ordinaria, Bart. Ang. & communiter DD. text. in *leg. 2. §. Vim vi eod. titul. text. in leg. 1. Cod. Unde vi*. Et adde, quod intelligitur in continenti & non ex intervallo, quando recuperat suam possessionem quam primum potest, antequam ad actus extraneos divertat: ita Glossa ordinaria, in *dict. §. Eum igitur*, argumento text. in *leg. Continuis in princ. ff. de Verborum obligationib. text. in l. duos. §. 1. ff. de Duobus rebus*, text. in *l. Quod ait. §. Quod ait. ff. de Adulter. text. in leg. Heredes palam. §. final. ff. de Testament.* Sed clariùs & propriùs dic, quod in materia nostra incontinenti dicitur arbitrio boni viri, secundum quod commode fieri potest, attenta qualitate ejus qui vi dejectus est, & rei ex qua fuit expulsus, & ejus qui vim commisit: ita Bart. in *dict. §. Eum igitur*, & ibi notat Angel. qui valde commendat Petr. in *l. 1. Cod. Unde vi. 1. column. post princ. Cin. ibi, penult. column. Jacob. Butr. fin. column. Faber. 2. column. Salycet. 1. column. num. 4.* & meliùs 2. column. num. 10. Aretin. in *leg. 1. §. Qui præsens. ff. de Verborum obligation. 2. column. in fin.* Ex quo singulariter inferitur, quod si Rex, & Princeps, vel Dux per vim expellat possessorem de aliquo territorio, castro, vel loco suo, licitum est ei quodcumque propria autoritate recuperare, etiam post decennium: istud fuit dictum originale & famosum Hugution. in *cap. Jus naturale. 1. distinct. in glossa sua antiqua*; & sequitur & commendat Bald. in *leg. fin. Cod. de His qui à non domino manum. 2. column. num. 3.* illud etiam dictum sequitur & reputat mirabile Imol. in *leg. 1. §. Qui præsens. ff. de Verborum obligation. 1. column. num. 2.* Angel. de Aretin. in §. *Quadrupli, Institut. de Actionib. 8. col. num. 29.* tenet etiam & valde commendat Jas. in *l. Clam possidere. §. Qui ad nundinas. 7. column. num. 36.*

*ff. de Acquirend. possession. Roman. in leg. Si de eo. §. Si forte 2. column. eodem titul. Montalv. in leg. 1. titul. 11. lib. 2. For. 11.*

Et in tantum est verum, quod expulsus potest suam possessionem in continenti recuperare, ut nullam videatur amisisse possessionem, sed semper retinere saltem civilem in animo; quia sequuta recuperatione in continenti, præsumitur semper habuisse animum possidendi. Ex quo subtiliter inferitur, quod non erit interrupta præscriptio, vel usucapio incæpta: & in expresso ita determinat Glossa singularis in *leg. Si quis ad se fundum. Cod. ad legem Juliam de vi, in glossa final. quam ibi notat & commendat Bartol. final. column. num. 5.* Salyc. penult. column. num. 26. & ibi communiter DD. Glossa etiam ordinaria in *leg. 3. §. Eum igitur. ff. de Vi, & vi armat. in glossa final. & ibi Angel. & communiter DD.* Glossa etiam juncto textu in *leg. Qui possessionem, eodem titul. & ibi Bartol. Angel. & alii DD.* tenet etiam Bartol. & communiter DD. contra Glossam *ibi*, in *leg. Qui fundum. §. Qui bona fide, versicul. Idem juris. ff. Usucapion. pro empror. Jacob. Butr. in leg. 1. Cod. Unde vi. final. column. & ibi Bald. 3. column. num. 8.* Salycet. 1. column. numer. 3. Imò, quod magis est, dicebat Salycet. in *dict. leg. Si quis ad se fundum. Cod. ad legem Juliam de vi*, quod etiam naturalis possessio non videatur amissa, nec effectus ejus, argumento textus in *dict. leg. Qui possessionem*. Sed ego intelligo, quod licet eam amiserit, tamen præsumitur & fingitur à jure non amisisse.

Advertendum tamen, quod superior conclusio procedit, & habet locum quando propulsatur injuria realis; secus verò quando propulsatur injuria personalis, quia offensus ab alio vult se defendere; quia tantum est ibi permissum se defendere in ipso actu, & crimine flagrante, non tamen potest injuriam sibi factam propulsare, & vindictam sumere, ita probat text. notabilis in *leg. Quod lex ait. ff. de Adulter. ubi dicitur*, quod licet pater possit filium & adulterum interficere, debet intelligi quando eos deprehendit in ipso crimine: & per eam istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. in *dict. leg. 3. §. Eum igitur. ff. de Vi, & vi armat.* licet corruptè allegat illam legem, & ibi Angel. de Perus. Bald. in *leg. Petens. Cod. de Pactis, penultim. column. num. 48.* Bartol. in *leg. 1. Cod. Unde vi. penult. column. num. 9.* & ibi Cin. Alberic. Faber. Salycet. & communiter DD. Faber. in §. *Jus autem gentium, Institut. de Jure naturali, gent. & civili 2. column. num. 3.*

191 Item adde, quod hoc interdictum *unde vi*; nedum competit pro rebus corporalibus, sed etiam pro rebus incorporalibus: Unde si fructua-

tua-